

Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.

Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

---

**Observationum De Supernaturali Virtute Spiritus S. An Et Qvatenus Illa Quidem Ecclesiae Chistianae Semper Praesto Sit, Specimen Sextum Et Ultimum. Qua Rector Et Concilium Academiae Fridericianae Buetzoviensis Civibus Pentecostes Solemnia Indicunt**

Buetzovii: Typis Ioann. Gotth. Fritzii, [1779]


<https://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1830800663>

Druck    Freier  Zugang

Mkl h

3495

entsäuert



LIBRARY

C

Arb. b.  
3495

OBSERVATIONUM DE SUPERNATURALI VIRTU-  
TE SPIRITUS S. AN ET QVATENUSILLA QUI-  
DEM ECCLESIAE CHRISTIANAE SEMPER  
PRAESTO SIT,

*SPECIMEN SEXTUM ET ULTIMUM.*

QUA

RECTOR ET CONCILIJ  
ACADEMIAE FRIDERICIANAE  
BUETZOVIENSIS

CIVIBUS

PENTECOSTES  
SOLEMNIA

INDICUNT.



---

BUETZOVI  
TYPIS IOANN. GOTTH. FRITZII, SEREN. DVC. AVL.  
ET ACADEM. TYPOGR.

1779

DEUTSCHE UNIVERSITÄT DÜSSELDORF  
AN DER FAKULTÄT FÜR GEDICHTKUNDE  
VON

DEM DOCTORATURS-DISSENCEINER SEMPER  
THESES SEI.

ALBONIUS ET MATHIAS TAUMA

67

HISTORIETT COMICUM

ACADEMIAE PREDICATIONE

THEATRICALIS

CLOTHES

FESTE FESTE

GOETHE

CHARACTER

DR. H. H. DÖLL

DR. H. H. DÖLL



I. N. J.



In prima particula harum observacionum duo præcipitia notavimus, in quæ passim circa doctrinam de supernaturali virtute Spiritus S. nonnulli ruerunt: alterum eorum, qui totam hanc causam ad prima tantum christianæ religionis initia, & ad Apostolos primosque eorum discipulos unice referunt, ita ut post ista tempora nihil, quod proprie supernaturale dici possit, in religione christiana ejusque praxi insit, aut ab iis, qui christiani esse cupiunt, expectari debeat; alterum istorum, qui miraculosos istos effectus, in sensus externos incurrentes, quibus Spiritus S. præsentiam suam in Apostolis & primis christianis nonnunquam exseruit, in ecclesia

a 2

Chri-

Christi semper conspicuos esse debere, & cuilibet vero christiano promissos esse contendunt. Prioris sententiae falsitatem superioribus commentationibus ostendimus; supereft, ut &, quomodo de altera sententia statuendum sit, paucis inquiramus. Ut priscos Montanistas taceam, qui ad hunc devium locum deflexerunt, ut promissiones istas de operationibus Spiritus S. quas Christus apostolis dedit, sine ullo discrimine aut limitatione ad omnes omnium ætatum christianos traherent, atque Spiritum S. per immediata oracula & miracula cunctis christianis, æque ac apostolis adesse contenderent; nostra ætate vir doctus, JOH. CASPAR LAVATERUS, ecclesiastes Tigurinus, cum ejusmodi quid affirmare visus sit, variis contentionibus & disputacionibus hanc super rem occasionem dedit. Postquam jam in aliis scriptis passim multa in hanc sententiam dixisset, multosque expertus esset adversarios; tandem ipse totam suam opinionem clare & perspicue complexus est & exposuit in commentariuncula quadam, quæ in illius vermischten Schriften, Num. II. legitur. Disputavit contra LAVATERUM præter alios præcipue Anonymus quidam, qui Bremæ, 1775. edidit des Herrn Diaconus Lavaters eigentliche Meinung w. geprüft und beantwortet von einem Freund der Wahrheit: quam tractationem deinceps duabus continuationibus auxit. Nolim equidem cuncta probare, quæ tum hicce vir doctus, tum alii passim contra Lavaterianas sententias in medium attulerunt; neque enim ubique quæstionem accurate definitivisse, aut id quod in ea præcipuum est & arcem causæ constituit,

stituit, circumspete satis & solide explicuisse, sed potius negare passim nonnulla iste anonymus mihi quidem videtur, quæ negari non debuerunt, & multa affirmare, quæ fundamento carent, & ad prius extreum facile ducere possunt: in universum tamen si rem spectes multa præclare monuit.

Nos in hac quæstione evolvenda in præsentia tam copiose euidem versari haud possumus, quam rei dignitas postulare videtur, nec eam universam exhaurire; sed præsentis instituti memores cuncta paucis tantum observationibus concludemus, quibus si attendamus, facile apparebit, quid de Lavaterianis hypothesis sit sentiendum. Aequum est, ut omnium primo ipsum Lavaterum audiamus. Sic vero ille l.c. totam suam sententiam paucis complectens differit: Diese Verfasser (die heiligen Schriftsteller) sind der Meynung, daß es möglich, daß es die Bestimmung des Menschen sey, in einer eigentlichen und unmittelbaren Gemeinschaft mit der Gottheit zu stehen; daß sie ein eigentlicher Gegenstand seiner Freundschaft und Vertraulichkeit sey; daß eine eigentliche moralisch-sinnliche Unterhaltung mit Ihr, das eigenthümliche der Religion, und die Absicht Gottes bey allen seinen Offenbarungen sey; daß der Glaube an Gott, und vornehmlich an den in Jesu Christo geoffenbarten Gott, als einen Gott, der sich allen, die an Ihn glauben, offenbaren und mittheilen, und von allen, die Ihn suchen, finden lassen will, der höchste, deutlichste Endzweck aller biblischen Geschichten, und zugleich die grosse Triebfeder und Quelle aller moralischen und physischen Vollkommenheit, und der Grund und die Wurzel der vollen Wiederherstellung der menschlichen Natur sey; daß die Erkenntniß Gottes in Jesu Christo die unmittelbare Quelle der ewigen Glückseligkeit sey. re.

a 3

Multa

Multa in his insunt, quæ vera sunt, si recte expli-  
centur, nec negari aut vituperari debent. Sed admix-  
ta sunt admodum multa, quæ ferri haud possunt, &  
ambiguitate vocum vir clarissimus per nimios saltus ex  
iis, quæ veritatis speciem habent, concludit ea, quæ  
erroneis suis opinionibus consentanea sunt. Verum est  
in universum, consuetudinem & commercium quod-  
dam cum Deo magnum istum finem esse, ad quem  
consequendum homo destinatus est, & quo tendit to-  
ta vera religio, etiam revelata: itidem verum est,  
fidem in Deum propitium per & propter Christum,  
esse summam totius religionis divinitus revelatæ, &  
fontem ac principium vitæ beatæ, fundamentumque  
restaurandæ humanæ naturæ. Pari modo recte dici-  
tur, & dici debet, cognitionem Dei in Christo Jesu  
continere initium & proximum fontem ipsius æternæ  
felicitatis. Sed hæc vera principia transfert vir do-  
ctus ad alias quæstiones & asseverationes, quæ ex iis  
haud sequuntur, & longe alias requirunt rationes, si  
recte definiri & decidi debeant. Etenim ex illis ipsis  
rationibus *LAVATERUS* in reliqua sua disputatione con-  
ficere vult, miraculosos istos eventus, quibus Deus  
eiusque Spiritus præsentiam & gratiam suam prophetis  
& apostolis primisque christianis sæpius ostenderat, ut  
immediata oracula, visiones, aliaque hujus generis  
miracula proprii nominis, ad omnes pios pertinere,  
quotiescumque ejusmodi quid precibus a Deo flagitant.  
Sed primo quidem hæc non cohærent: intercedit pii  
commercium quoddam cum Deo; ergo pii in causis  
pri-

7

---

privatis, & in cunctis factis & casibus singularibus immediata oracula & responsa divina, per signa, quæ miraculose sensus afficiunt, expectare possunt. Beatum istud commercium piorum cum Deo secundum scripturam s. in eo versatur in universum, ut pii ex sua parte de benevolo favore & gratia Dei per Christum certi sint, ut sciant, se suasque res omnes Deo curæ esse, omniaque, quæ accidunt, per specialissimam diuinam providentiam dirigi ad ipsorum veram salutem, nec ullum casum ipsis hanc salutem intervertere posse, ut acquiescant suaviter in hac mentis fiducia, & tanquam filii accedant ad Deum, cunctaque Deo precibus commendent, certi, quod Deus ipsis benevole audiat; quoniam per Christum veniam consecuti & accepti sunt Deo. Respondet etiam Deus ex sua parte desideriis & precibus piorum, tum per internam mentis convictionem suavissimasque illas Spiritus s. operaciones, quibus in dies magis de gratia Dei certi redditur, sentiuntque præsentissimum Deum ejusque gratiam & virtutem; tum per exauditionem precum in casibus etiam singularibus, & in cunctis angustiis tam internis quam externis, quas si pii, freti divinis promissionibus, Deo commendant, omnesque necessitates suas coram Deo explicant & effundunt; experiuntur quotidie præsentissimum Dei auxilium, & vident, Deum precibus suis annuere, ex angustiis ipsis eripere, cunctaque, quæ pollicitus est, fideliter præstare, sicque confirmantur magis in filiali isto animi sensu, quo versantur & loqvuntur cum Deo, seque & res suas ipsi com-mit-

mittunt. Sed ex his non sequitur, ut hæc divina responsa ipsis reddantur per miracula, per visiones supernaturales, per oracula in sensus externos incidentia, aut per alias ejusmodi extraordinarias res, in quibus *LAVATERUS* commercium istud piorum cum Deo collocare videtur. Sufficit via providentiae divinæ ordinariae, qua Deus omnes hujus vitæ casus ita gubernat, ut sentiant & experiantur re ipsa pii, attendere Deum ad ipsorum preces, curare ipsos salute inque ipsorum, ipsisque gratia, auxilio, & omnipotenti virtute sua præsentem esse. Neque enim homo pius in ordinariis istis providentiae operibus minus intelligit & sentit Deum præsentem, & desideriis ac necessitatibus nostris annuentem & succurrentem, quam in miraculis & aliis rebus extraordinariis, quæ sensus externos afficiunt, ACT. XIV, 17. XVII, 26. 28. Deinde, quod ad istam internam animi persuasionem & convictionem in universum attinet, qua Deus hominem vere christianum certum reddit, se in gratiam receptum esse, propitiumque Numen habere; hæc quidem non cohærent: respondet Deus piis, qui ipsum ipsisque gratiam per Christum quærunt totoque animo appetunt, annuit his ipsorum desideriis, certosque ipsos facit, esse se ipsis propitium, rescidisse sententiam mortis, dimisisse reatum & culpam, donasse ipsis jus filiorum, inclusos ipsos in paternam suam providentiam esse, se eos ita complecti, ut tanquam cum patre, cum Deo versari, omnemque securitatem, salutem, auxilium & vitam ab ipso expectare possint ac debeant; ergo Deus hæc

hæc piis præstat per novas semper revelationes immediatas, per oracula extraordinaria, per miracula, quæ in sensu externos incurunt, cæt. Supereft alia eaque ordinaria via, verbum divinum virtusque Spiritus s. quam cum illo Deus semper conjunctam esse voluit. Istud cum quotidie meditetur homo vere christianus; promissiones divinas, quæ in hoc verbo cuilibet offerruntur, ad eam claritatem & vitam evehit Spiritus s. ut ipsas christianus certissima animi persuasione ad se trahere, in iisque plane acquiescere posse, ea ratione, qua totam hanc causam de supernaturalibus Spiritus s. operationibus explicavimus in superioribus commen-tationibus. Et hac ratione sentiunt & experiuntur pii Deum Spirtumque Dei præsentem in animis suis, & coram ipso præsente, ac in ipsius conspectu versantur. Nunquam Scriptura s. homines, ut ad hanc beatam mentis immutationem, notitiamque vivam gratiæ divinæ, & ad sensuum præsentisimarum operationum Spiritus s. perveniant & erigantur, ad ejusmodi insti-tutionem ablegat, quæ accidat per oracula immediata, per visiones sensuum externorum, per miracula; sed ad verbum Dei, quod jam in rerum natura præfens esse voluit Deus, ut istud audiendo & legendo percipi-ant. Hac via, inquit scriptura, homines perducendos esse ad fidem, sive ad veram & salutarem notitiam Christi, & ad vivum gratiæ divinæ sensum per Spiri-tum s. JOH. XVII, 20. EPHES. I, 13. 14. II, 20. Nec ullum etiam exemplum hominis in Scriptura s. præter unum apostolum Paulum, exstat, qui per aliquam vi-

b

am

am extraordinariam, per immediata oracula, per apparitiones adspectabiles, proxime ad prima initia notitiae salutaris & ad mutationem animi perductus, aut de impetrata gratia & venia peccatorum certior factus sit. Si quando Deus per legatos suos miracula in hominum sensus incurrentia edidit, haec non pertinebant proxime & immediate ad ipsam hominum internam mentis conversionem efficiendam; sed fiebant ista quidem eo consilio & fine, ut homines ad verbum Dei, quod ipsis annunciatatur, attenti redererentur, & per hoc deinceps imbuerentur nova luce & sensu. Simili modo, ut confirmetur ac conserventur pii in hoc novo sensu, ut augeatur in ipsis vita divina, ut quotidie tanquam veri cives regni Dei fruantur suavissimis solatiis justitiae, pacis, & laetitiae per Spiritum s. ROM. XIV, 17, ut intelligent denique quotidie magis consilium Dei de salute nostra, & a noxiis erroribus caverentur, rectamque salutis viam retinere possint; in his quidem cunctis non novas revelationes, non apparitiones divinas aut angelicas, non miracula expectare jubentur, sed monentur unice, ut attendant ad istud verbum, quod ore legatorum divinorum jam promulgatum est, quo remedio Spiritus s. in ipsis ab initio fidem & notitiam Christi generavit. ROM. XV, 4.

I. JOHAN. II, 20. 21. 24. 27.

Ex his facile intelligitur, quid ad argumenta respondendum sit, quibus *LAVATERUS* sententiam suam confirmare studet. Provocat ad donum Spiritus s. quod cunctis christianis promissum fit. Jam cum Spiritus

ritus s. præsentiam suam in primis christianis passim per miraculosos effectus proderet, quibus percellebantur & in stuporem conjiciebantur alii homines; inde confidere vult vir doctus, hoc ipso modo & his ipsis effectibus Spiritum s. virtutem suam in cunctis christianis per omnes ætates manifestare posse & debere. Ac quod id quidem fieri posse, nemo inficiatur; sed quod fieri debeat, & certo futurum sit, in hoc quidem fallitur *LAVATERUS*, & in argumento suo ineſt ista vitiosa conclusio a rebus & factis particularibus ad id, quod in universum & semper & apud omnes christianos accidere debet. Quod ut eo melius intelligatur; omnium *primo* observandum, præcipuum munus & officium Spiritus s. quem Christus suis impertitur, nunquam in eo collocari, ut per christianos miracula propria & veri nominis edat, nempe supernaturales effectus in mundo corporeo, qui in sensu hominum externos incurunt, eosque percellunt, sed in hoc potius & unice, ut intrinsecus in mentibus piorum beatam istam conversionem & immutationem moralem perficiat, qua pii Deum in Christo ipsis propitium esse certa & vera mentis persuasione credunt, & hac gratia freti filiali fiducia ad eum accedere, in ipso acquiescere, omnia vera bona ab ipso expectare, & ita animati pravis cupiditatibus resistere easque vincere, ac cunctis virtutibus studere discunt. ROM. VIII, 9 - 17. GALAT. V, 16. seqq. 1 CORINTH. XIII, 1. seqq. His in rebus, inquit apostolus, si quis Christo servit, Deo acceptus

ceptus est, & ab aliis hominibus pro vero christiano haberi debet. ROM. XIV, 17. 18. Hic nihil de miraculis. Ubiunque igitur isti effectus se produnt, ibi promissiones Christi de Spiritu s. suis impertiendo impletæ sunt; etiamsi vel maxime nullum accedat miraculum sensus externos feriens. Deinde quod ad miraculosos effectus attinet; potest equidem Spiritus s. ut supra diximus, suam præsentiam per hujus generis opera semper & ubique manifestare: At hoc quidem non in privato piorum arbitrio, judicio, consilio aut lubitu collocavit, sed totum suæ ipsius liberrimæ dispensationi reservavit, si quando & qua ratione ipsi visum fuerit, non tam propter privatas necessitates singularis alicujus christiani, quam propter causam publicam religionis, isto modo operari. 1 CORINTH. XII, 7. II. Nec igitur generale quoddam præceptum exsculpi aut configri debet, quasi illius generis miraculosi eventus pertineant ad ipsam veri christianismi formam, cumque illi, experientia teste, non multo post apostolorum tempora, postquam fundamenta christianæ religionis & ecclesiæ jacta erant, cessaverint inter christianos; non defectum aliquem promissionum divinarum arguere aut opinari debemus, quasi his temporibus ecclesiæ aliquid desit, quod Christus pollicitus est. Id unum inde sequitur, ut intelligamus, sapientiæ divinæ ad communem utilitatem christianæ religionis necessarium visum non esse, semper & perpetuo sensus externos hominum per miracula percellere. Multo minus nos.

nos christianos decet, pro nostro lubitu & ex nostro judicio, quoniam nobis fortasse utile & necessarium videtur, a Deo contendere, ipsumque importunis quasi precibus cogere & expugnare velle, ut hæc miraculosa Spiritus s. dona ecclesiæ restituat; sed cuncta in arbitrio divino reponenda ipsique committenda sunt, & ad id unice a nobis attendendum est, quid Deus re ipsa facere consultum duxerit. Alias turpisime nosmet ipfos dare, & importuno isto impetu decipi & ab ripi quis facile potest, ut multa sibi fingat & commiscatur, quæ prostituunt magis christianam religionem, quam splendorem ejus illustrant.

His ipsis rationibus facile solvuntur reliqua *LAVATERI* argumenta. Urget vir clarissimus virtutem fidei, in scriptura s. tantopere prædicatam, & efficaciam precum. Sed cuncta facilem habent explicacionem, & diluuntur per ea, quæ adhuc dicta sunt. Quare cum nobis in præsentia copiosioribus esse non liceat; sufficiat, fontes aperuisse, unde refutatio conclusio num falsarum peti potest.

Summa omnium, quæ disputavimus, jam eoredit, ne obstinemus animum, ut nostro judicio & prout nobis visum est, vias delineare ac dirigere audeamus, quibus Christus suos suamque ecclesiam conservare, confirmare & augere debeat. Nec modum & remedia præcipiamus Deo, quibus consilia sua de salute hominum & de gubernandis rebus tum privatis cuiuslibet christiani, tum publicis totius ecclesiæ, exsequatur,

b 3

finem-

finemque propositum teneat, quasi, quoniam nosmet  
ipsi fortasse optamus & utile ducimus, nunc miracu-  
lis, nunc aliis rationibus uti debeat. Sufficiat nobis,  
Deum certo cuncta, quæ promisit, præstitum, sive  
jam his, sive illis remediis pro sua liberrima & sapien-  
tissima dispensatione uti consultum ducat. Commen-  
demus igitur nostras & ecclesiæ vias Deo; **הוּא יְהוָה**,  
*ille ipse*, qui solus sapiens est, *cuncta recte administrabit.*  
PS. XXXVII, 5.

---

P. P.  
IN ACADEMIA FRIDERICIANA,  
QUÆ BUETZOVII EST,  
SUB SIGIL. ACAD.  
PENTECOSTES FESTO DIE,  
MDCCCLXXIX.




LIBRARY  
UNIVERSITY OF ROSENTHAL  
SIGIL AGO  
HANDBLATTES





[https://purl.uni-rostock.de  
/rosdok/ppn1830800663/phys\\_0019](https://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1830800663/phys_0019)





9

lat per novas semper revelationes imme-  
racula extraordinaria, per miracula, quæ  
rnos incurront, cæt. Supereft alia eaque  
, verbum divinum virtusque Spiritus f.  
llo Deus semper conjunctam esse voluit.  
otidie meditetur homo vere christianus;  
divinas, quæ in hoc verbo cuilibet offe-  
am claritatem & vitam evehit Spiritus f.  
tianus certissima animi persuasione ad se  
sque plane acquiescere posfit, ea ratione,  
nc causam de supernaturalibus Spiritus f.  
explicavimus in superioribus commen-  
Et hac ratione sentiunt & experiuntur pii  
imque Dei præsentem in animis suis, &  
ælente, ac in ipsius conspectu versantur.  
riptura f. homines , ut ad hanc beatam  
tationem, notitiamque vivam gratiæ di-  
fensum præsentisimarum operationum  
veniant & erigantur, ad ejusmodi insti-  
gat, quæ accidat per oracula immediata,  
ensum externorum, per miracula; sed  
Dei, quod jam in rerum natura præsens  
us, ut istud audiendo & legendo percipi-  
, inquit scriptura, homines perducendos  
, sive ad veram & salutarem notitiam  
vivum gratiæ divinæ sensum per Spir-  
XVII, 20. EPHES. I, 13. 14. II, 20. Nec  
exemplum hominis in Scriptura f. præter  
um Paulum, exstat, qui per aliquam vi-

b

am